DE

PERITONITIDE PUERPERALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. M. APRILIS A. MDCCCXLVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Oscarus Seidler

LEUCOPETRENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. WEDEL, med. et chir. DD.
A. de GRÆFE, med. et chir. Cand.
A. SCHUFT, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Miseris semper nisi auxilium, levamen tamen solatiumque feras!

Nihil autem miserius est, quam aegrotus.

Lectoris, si quis reperiatur, benevolentiae commendaverim hoc opusculum; sed

Eheu! quaenam sors tibi obveniet!

„aut tineas pasces taciturnus inertes."

Horat.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

FRIDERICO SEIDLER,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD LEUCOPETRENSES ET ORPHANOTROPHEI REGII LANGENDORFIENSIS,

NEC NON

PATRUO

AMPLISSIMO, CARISSIMO, DILECTISSIMO

AUGUSTO SEIDLER,

PHILOS. DR., REGI A CONSILIIS AULICIS, LINGUÆ GRÆCÆ PROFESSORI CELEBERRIMO,

HASCE

QUALESCUNQUE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

De nullo unquam morbo majores inter medicos controversias esse agitatas, quam de febri seu peritonitide puerperali, id quod jam varia nomina ab aliis atque aliis huic morbo imposita testantur, inter omnes constat. Fortasse lucis aliquid controversis illis opinionibus affunditur, si medicos ad explicandum morbum a variis principiis orsos esse, meditamur, et si Schoenleinio suffragamur, qui inter febrem puerperalem simplicemque peritonitidem eandem intercedere dicit rationem, quae inter dysenteriam et simplicem tunicae mucosae intestinorum inflammationem locum habeat. Peritonitis enim altera parte ad similitudinem earum inflammationum accedit, quas auctor celeberrimus neurophlogoses appellat, altera autem parte, ut omnes epidemiae, multifariis formae vicissitudinibus obnoxia est. Non modo genius epidemicus, sed endemicae etiam conditionis aliam atque aliam hujus morbi modificationem proferunt, quo fit, ut non modo variis temporibus atque locis, sed saepe etiam eodem loco atque tempore diversam indolem prae se ferat. Hancce variam pro loco et tempore naturam plurimi medicorum neglexisse morbique effigiem ex singularibus aut levioribus observationibus hausisse videntur. Multum erroris praeterea eo exortum est, quod peritonitis puerperalis va-

riis cum morbis, ex parte adhuc occultis, v. c. cum phlebitide uterique putrescentia complicationes init, imo cum his quandoque confunditur. Quae omnia si reputamus, vix mirum nobis videbitur, descriptiones febris puerperalis in libris propositas non minus inter se discrepare, quam morbi ipsius formas.

PERITONITIDIS PUERPERALIS SPECIES.

§. 1. Nonnulli, ut Schoenlein, plurimum operae dederunt, ut peritonitidem puerperalem certis finibus circumscribant et formas singulas, quae ex indole symptomatum profluunt, accuratius constituant. Quamquam divisio febris puerperalis tali modo proposita non omnibus desideriis respondeat, tamen systematici aliquid habet facileque casus morbi singulares ad unam alteramve speciem referri patitur. Proinde non dubitavi, illas febris puerperalis formas, quae aptissimae mihi videntur, adoptare et succinctam earum adumbrationem in hoc opusculo exhibere. Quattuor sunt formae, quas medici nostrae aetatis clarissimi defendunt, nempe erethica, inflammatoria sive synochica, gastrico-biliosa, typhosa, ad quas exponendas jamjam me accingam.

FORMA ERETHICA.

§. 2. Omnium est simplicissima atque levissima; mulieres, quae vel partum regularem ediderunt vel abortum fecerunt, raro intra primum nychthemeron, raro

etiam post tertiam a puerperio hebdomadem dolore plus minus vehemente, lancinante aut urente tentantur, qui e regione umbilicali ordiens magna cum velocitate, interdum paene fulminis instar, per totum abdomen diffunditur et nonnunquam initio typum intermittentem exhibet, mox autem continens evadit et tantummodo remissiones periodicas incertis temporibus offert; raro omnia remissionum vestigia desiderantur. Venter ipse, vel totus vel praecipue inferior ejus pars, inflatur et tantopere dolet, ut ne levissimus quidem tactus, multo minus autem pressio, sustineatur.

Hacce in specie secretiones partium sexualium, uteri et vaginae, nec non mammarum, minime supprimuntur. Febris concomitans indolem erethicam prae se fert; primum horripilationes ingrediuntur, aestu exceptae, quod utrumque symptoma intra primas viginti quattuor horas saepe alternat, donec postremo aestus continuus evadat. Cum febri pulsus consociatur irritatus, frequens, non exquisite durus, sed summum duriusculus; cutis ardens et sicca, urina rubella invenitur. Horum symptomatum febrilium ea est ratio, ut sub horas matutinas aliquantum mitigentur.

FORMA SYNOCHICA.

§. 3. Omnia, quae ad inflammationem spectant, symptomata multo atrociora apparent. Dolores jam ab exordio eam habent acerbitatem, ut aegrotae levissimum ventris tactum quam maxime perhorrescant; iidem neque intermittunt neque perfectas certasque remissio-

nes offerunt. Abdomen hac in specie non solum tumefactum, sed etiam durum reperitur; inflatio totum ejus ambitum occupat. Genitalia mammaeque eatenus mutantur, ut turgescant et tactu non modo calórem, sed etiam dolorem prodant; secretio eorum paulatim restringitur, summo autem morbi gradu penitus supprimitur. Febris indoles alia est, ac in superiore specie: horror enim ingens mox irruit, cui aestus intensus, paulo post continuus, succedit; pulsus tensus, plenus, durus, maxime frequens apparet, digitorum pressioni non cedens. Cutis aeque ac in priori specie sicca, ardens, turgida, urina rubra inter mictum saepe ardorem efficiens, deprehenduntur; alvus pertinaci obstipatione laborare, denique lingua rubra, interdum albida, sitis ingens esse consuevit.

FORMA GASTRICO-BILIOSA.

§. 4. Schoenlein hanc formam erysipelaceam appellat, quae tamen denominatio minus idonea mihi videtur, facileque ad errorem seducit medicos. Dolores hanc speciem comitantes typum magis remittentem, imo nonnunquam intermittentem ostendunt colicisque affectionibus similes sunt. Abdomen quidem inflatum, molle tamen aut molliusculum, non semper aequabiliter dolorificum invenitur; nonnunquam inferior tantummodo pars dolet, dum superior mediocrem tactum sustinet; prae aliis locis dextrum hypochondrium pressione offenditur. Si fidem habemus Schoenleinio, non raro inflammationes erysipelaceae mammis et infe-

rioribus extremitatibus superveniunt, qua de causa haud dubie autor hancce formam familiae erysipelacearum adnumerat. Aegrotae dolorem acerbum prementem regionis frontalis conqueruntur, quocum linguae indumentum sordido flavidum, biliosum, sapor amarus, ructus, nausea, interdum vomituritiones, aut ipsae vomitiones conjunguntur; accidere etiam potest, ut alvi excretiones biliosae aliquot locum habeant. Urina ea est, quam Schoenlein erysipelaceam vocat, nempe turbida, jumentosa, bilis pigmento magis minusve tincta; cutis vel arida, vel humescens, plerumque tamen ardentissima; pulsus adeo frequens, ut centum et triginta vel quadraginta ictus intra sexagesimam horae partem offerat, .ceterum mollis, plenus, undosus.

FORMA TYPHOSA SEU TORPIDA.

§. 5. Haec, omnium teterrima, vel primitiva apparet, vel ex gastrico-biliosa emergit. Priori in casu duo distinguere licet stadia, nempe irritationis et nervosum, in altero autem primum stadium formae gastrico-biliosae symptomatibus suppletur.

Stadium primum.

Dolor urens, ut in reliquis speciebus ab uno loco ordiens, paulatim per ventris cavitatem expanditur saepeque versus regionem sacram protrahitur. Abdomen plerumque magis inflatum cernitur, quam in speciebus, quas supra descripsi, idem adhibita pressione, imo tactu, gravissimis doloribus torquetur. Singularis

mammarum partiumque genitalium conditio invenitur, turgore enim destituuntur, flaccescunt, lactis secretio minuitur tandemque cedit; similis lochiorum ratio est, quippe quorum profluvium supprimatur, nisi forte complicatio cum uteri putrescentia exoriatur. Coenaesthesis aegrotarum inde a morbi exordio gravissime offenditur, accusant enim cephalalgiam, languorem, dedolationem.

Stadium secundum.

Ventris inflatio meteoristica evadit summumque gradum assequitur, integumenta ejus eum in modum tenduntur, ut percussio sonum tympaniticum evocet; dolores abdominis persistunt et decursum nervorum splanchnicorum sequuntur. Huc accedunt symptomata, ingentem sensorii affectionem indigitantia, nimirum capitis temulentia, stupor, deliria murmurantia, quae vel continua sunt, vel exacerbationibus tantum sub horas vespertinas et nocturnas superveniunt. Si morbus ad summum evehitur gradum, sensorii stupor tantus redditur, ut aegrotantes nullis incitamentis possint excitari. Cutis corporis calorem urentem exhibet, sed solito turgore prorsus caret; transpiratio vel omnino deficit, vel sudores profusi, odorem lutosum vel stramineum edentes, emergunt; priori in casu plerumque exanthematis petechialis, in altero autem miliarium alborum eruptio imminet. Miliaria alba, primum circa abdomen erumpentia, vesiculas exhibent albas, crystallinas, liquore limpido aut seroso impletas, areola

carentes. Pulsus, cujus frequentia magis magisque accrescit, parvus, debilis, filiformis redditur; lingua initio rubella indumentum recipit subfuscum et arescit; accedunt tandem diarrhoeae copiosae, nonnunquam invitae et insciae, quibus materiae odoris cadaverosi ejiciuntur.

MORBI DECURSUS.

§. 6. Decursus variarum febris puerperalis specierum maxime discrepat; plerisque in casibus circiter decem vel quindecim dies praetereunt, antequam aegrotantes vel reficiuntur, vel mortem occumbunt. Varia autem ratione decursus mutatur: forma enim synochica nonnunquam tanta rapiditate decurrit, ut intra biduum vel triduum lethalis sequatur exitus; vicissim forma erethica tam exiguam symptomatum intensitatem prae se ferre potest, ut intra illud tempus crises accedant et resolutio obtineatur; in universum tamen notandum est, utramque formam raro ante septimum diem vel in bonam vel in malam partem finiri. Forma gastrico-biliosa minus celeriter, plerumque non ante undecimum vel decimum quartum diem decursum absolvit; denique forma typhosa, nisi ex gastrico-biliosa evolvatur omniaque symptomata nervosa jam ab exordio summam atrocitatem offerant, usque ad vicesimum primum diem protrahi et tum demum aut lysi aut crisi resolvi, aut in mortem exire potest.

COMPLICATIONES.

§. 7. Peritonitis puerperalis cum aliis morbis in-

terdum complicatur, inter quos praecipue phlebitis et uteri putrescentia numerandae sunt. Quum utraque affectio symptomatibus suis saepe apud puerperas se manifestet, non certo dirimere licet, utrum complicatio mera earum cum febri puerperali exstet, an haec demum ex illis profluxerit, aut vice versa. De complicatione morbi nostri cum phlebitide forsan concludere poteris, si aegrotae ardorem vehementem in pelvi infima versus regionem sacram conqueruntur, si oedema dolorificum artuum inferiorum, quod ex parte phlegmaticae albae dolenti respondet, denique si horrores ingentes, neque typo neque certo tempori adstricti animadvertuntur. Facilius complicatio cum uteri putrescentia dignoscitur, dummodo uterum exploremus ejusque profluvium accuratius intueamur. Praeterea multi sunt morbi quibuscum febris puerperalis complicationem inire potest, in quorum numero Canstatt pleuritidem et gangraenam pulmonalem collocat.

EXITUS.

§. 8. Proximum est, ut de febris puerperalis exitu disseram, qui quidem quadruplex esse potest:

a) in valetudinem perfectam. Hic exitus, omnium faustissimus, modo crisibus universalibus atque topicis induci potest; illis adnumerandi sunt sudores universales, vaporosi, odorem singularem, interdum foetidum exhibentes, praeterea urina hypostatica, cujus sedimentum modo furfuraceum, modo flocculentum, modo puriforme apparet. Necesse autem est,

crises istae non transitoriae sint, sed vel diutius persistant, vel aliquoties repetantur. Plerisque in casibus topicae crises complementum suppeditant, imprimis uteri et vaginae secretio adaugetur, vel si suppressa fuit, restituitur; secretum tali modo editum et specificum odorem et peculiarem colorem offert; non minus mammae lac uberius secernere incipiunt. Haud raro crises jam ingressae intercipiuntur et vel pseudocrises exoriuntur, vel incompleta tantum valetudo revertitur.

b) in valetudinem partialem. Secretum pathologicum lacti simile in cavo abdominis deponitur, quod nonnullis in casibus umbilicum perforat et in aegrotantium salutem foras effunditur. Saepius autem deposita lactea, quae appellari solent, variis in partibus oriuntur, praecipue in artubus inferioribus, speciatim in coxa, rarius in superioribus extremitatibus atque collo. Locus in quo tale secretum depositum est, celeriter tumescit, dolet, rubet et non raro jam post nychthemeron fluctuationem manifestam ostendit. Inciso tumore, humor effunditur lacteus et in circuitu destructiones telae cellulosae et vaginarum muscularium aeque ac canales fistulosi observantur. Quibusdam in casibus depositio hujus secreti ad pulmones defertur eundemque processum morbosum ibi efficit; aegrotae tussicula corripiuntur omniaque pneumoniae circumscriptae phaenomena in conspectum prodeunt, tandem suppuratio celeriter irruit.

c) in alium morbum. Sunt, qui contendant,

phlegmatiam albam dolentem ex febri puerperali posse evolvi; verumtamen suspicari licet, hisce in casibus phlegmatiam albam fuisse primitivam et cum peritonitide puerperali confusam. Certo tamen constat, asciten purulentum, viscerum abdominalium concretiones, quibus intestina omnia interdum glomerantur, sterilitatem et abortiendi proclivitatem posse remanere.

d) in mortem. Hunc exitum vel nimia exsudati moles infert, qua fit, ut vel plexus nervorum abdominalium resolvantur, vel nervi thoracici, si nempe intestina meteorismo inflata septum transversum usque ad costam tertiam vel quartam adigunt eoque modo spirandi negotium impediunt; vel complicatio cum pleuritide aut gangraena pulmonali; vel, fracta morbi primitivi intensitate, secundariae affectiones, ut depositiones humoris lactei, praesertim in pulmonibus, ascites purulentus, intestinorum concretiones aegrotam interficiunt.

VISA REPERTA.

§. 9. Cadaverum sectiones frequentiores et disquisitiones tam microscopicae quam chemicae eorum, quae in cavo abdominis aliisve partibus inventa sunt, ad illustrandam morbi naturam haud pauca contulerunt. Si corpora puerperarum hocce morbo exstinctarum contemplamur, mortis rigorem nunquam in iis reperiri, nobis persuademus, semper enim ejusmodi corpora mollitiem atque mobilitatem exhibent, celeriter autem putredini submittuntur. Recluso abdominis

cavo, exsudatum plerumque ob oculos cadit, quod lacti aut potius cremori lactis simile, odorem acidulum, seri lactis analogum, praebet. Priorum pathologorum major pars nihil esse putavit, nisi lac, metastasi in abdomine depositum. Chemica autem materiae collectae analysis hunc errorem refutavit: partes enim constituentes ejus albumine, fibrina parca et acido proprio efficiuntur, altera autem parte natron lacticum et saccharum lactis desiderantur. Est igitur secretum pathicum, cujus indoles singularis processu morboso specifico sistitur.

Eadem judicanda sunt de illa materia, quae sub cute extremitatum, vel colli, imo nonnunquam, ut supra diximus, in pulmonibus aut in cranii cavitate deprehenditur. Copia humoris istius variat, in ventris cavitate librae duae, quattuor, sex inveniuntur; quantitas ejus cum mutationibus, quas peritonaeum offert, proportionem alit inversam. Topicae mutationes ad peritonaeum inflammatum pertinentes propemodum eaedem sunt, quae neurophlogosibus efficiuntur: peritonaeum enim totum rubet, magis vero segmentum ejus inferius, rubor flocculenti aliquid habet et aliquantum purpurascit; neque retia vasorum, neque rubor laetus, ut in phlogosibus meris, inveniuntur; vasa potius atro sanguine turgent, itaque circa tubas Fallopianas, circa ligamenta uterina et ovaria colorem atro-coeruleum prae se ferunt. Quae descripsi, phaenomena constantia sunt, alia vero occurrunt, quae variare possunt.

Si complicatio febris puerperalis cum phlebitide exstitit, venae uterinae sanguinis coagulo spisso impletae, non raro obliteratae, parietes crassescentes eaedemque mutationes haud raro in venis pelvinis, imo interdum in vena crurali reperiuntur. Sin vero morbus cum uteri putrescentia complicationem inierat, substantia uteri passim, nonnunquam totum per ambitum, emollita cernitur. Quum aliae tunicae serosae, ut pleura, morbi participes fieri possint, exsudata etiam in alterutro vel utroque pleurae sacco, in pericardio, inter cerebri membranas oculis offeruntur. Quo longius membrana serosa, quae exsudatum continet, a primitivo inflammationis foco distat, eo minus opacum spissumque exsudatum apparet, eo parcior igitur materiarum animalium copia in eo inest. Si denique aegrotae morbis secundariis, ut ascite purulento, vel pulmonum suppuratione et febri hectica perierunt, viscera abdominis ipsa plerumque nihil morbosi amplius ostendunt, sed metamorphoses aliarum partium, quarum supra mentionem feci, reperiuntur.

AETIOLOGIA.

§. 10. Causae febris puerperalis, quamquam ex parte cum iis consentiunt, quae peritonitidem excitare valent, tamen proprii aliquid habent; id quod praecipue singulari conditione, in qua versantur puerperae, efficitur. Mulieres tantummodo huic morbo posse implicari, ex ejus indole patet, sed ne apud has quidem omni oritur tempore, verum in iis tantum vitae perio-

dis, quibus partus vel naturalis vel praematurus editus est. Quod ad tempus puerperii attinet, vix intra primum nychthemeron inde a partu accedit, neque unquam, ut auctores affirmant, post quartam hebdomadem; introitum ejus elapsis aliquot post partum diebus frequentissime observari, omnes fere consentiunt; haud rara tamen ea sunt exempla, in quibus post octavum aut decimum quartum diem, imo nonnunquam serius, emergit. De commercio, quod inter febrem et localia symptomata intercedit, haec notanda sunt: modo febris prius apparet et post biduum vel triduum demum dolores, ventris inflammationem topicam contestantes, exoriuntur, modo universalia et localia symptomata eodem tempore, modo denique topica aliquanto prius animadvertuntur. Tempus, quo febris puerperalis in corpore possit evolvi, a tertio graviditatis mense ordiri videtur, si enim abortus maturius intret, morbum nostrum nunquam exoriri, observationes recentiorum medicorum docuisse traduntur. Si morbi pathogeniam meditamur, conditionem singularem corporis muliebris, quae cum graviditate et partu vel abortu conjungitur, gravissimum exhibere momentum, in aprico est. Inter graviditatem enim totus nisus formativus introrsum vertitur omnesque secretiones restringuntur; simulatque foetus expulsus est, nisus ille foras tendit omnesque secretiones antea inhibitae largiores redduntur. Quidquid igitur hanc nisus formativi mutatam directionem arcet, quidquid

secretiones, imprimis mammarum et uteri, inhibet aut retardat, febrem puerperalem evocare potest. Huc imprimis domicilia humida et insalubria pertinent, perfrigeria cujusvis generis, qua re morbus autumnali et hiberno tempore crebrius occurrit; partus difficiles, animi pathemata deprimentia, prae omnibus autem suppressio secretionum, quas supra memoravi. Si interrogas, cur morbus iste puerperalis singulatim fere in peritonaeo sedem ponat, haec respicias necesse est:

a) peritonaeum utero primitus saepe affecto, nec non ovariis serosum praebet indumentum et ligamenta uteri lata conformat, quam ob rem aegrotationes harum partium facile ad peritonaeum propagantur;

b) varii irritationis gradus, quibus peritonaeum ante et post partum submittitur, situs partium mutatus, aeque ac circulatio sanguinis mutata dispositionem ad congestiones efficiunt, ex quibus, causa oblata, facile inflammata evolvitur;

c) crasis puerperalis sanguinis maxime opportuna est ad morbos exsudativos, qui telas serosas prae ceteris eligere solent.

Non praetermittenda est illa res in facto posita, quae nos edocet, multas febris puerperalis epidemias solum peritonaeum inflammationi submittere, ita ut post mortem organa in pelvi posita, uterus nominatim et ovaria, fere integra reperiantur. Ceterum ad inducendam febrem puerperalem constitutione quadam epi-

demica nondum satis explicata opus esse videtur, etenim certis tantummodo annis hicce morbus observatur, aut multo saltem frequentior est. Quodsi peritonitis puerperalis, tali modo exorta, indolem gastrico-biliosam aut typhosam recepit, contagium evolvi et ad sana corpora transponi potest. Multi quidem medici morbi nostri contagiositatem disputant, haud dubie ii, qui tantummodo formam erethicam et synochicam observarunt, nam ab his contagiositas abesse solet. Natura contagii adhuc dilucidari non potuit. Schoenlein medium ei locum inter contagium et miasma assignat ejusque similitudinem cum gangraena nosocomiali defendit, alteram formam in alteram transire posse asserens. Cujus contagii vehicula sunt secreta puerperarum aegrotantium, nominatim intestinorum et genitalium, maxime lochia. Nullam recipit dubitationem, quin loca angusta, aëris aditum non admittentia, in quibus multae mulieres febri puerperali laborantes congregatae sint, contagii evolutioni intense faveant. Denique hoc contagium mediocriter diffusibile est, quo fit, ut haud raro singularibus domibus obstetritiis, imo cubiculis limitetur.

PROGNOSIS.

§. 11. Si febrem puerperalem quod ad prognosin perpendimus, morbis periculosissimis adnumerandam esse, facile confitebimur. Verumtamen periculum non semper idem est, aliis enim in epidemiis e centenis fere octoginta, in aliis vix viginti moriuntur.

Momenta gravissima in praedictionem influentia haec sunt:

a) epidemiae indoles, quae characterem febris constituere solet; quae si erethicam aut synochicam ostendit naturam, non tantum periculi minatur, quam gastrico-biliosa atque typhosa:

b) genesis morbi: febres puerperales sponte exortae minus funestae habentur, quam quae contagio originem debent. Pejoris ominis ea esse solet peritonitis puerperalis, quae abortum, quam quae partum naturalem secuta est;

c) complicationes: pessimae omnium sunt combinationes cum phlebitide et putrescentia uteri, raro enim puerperae tali complicationi obnoxiae incolumes evadunt;

d) symptomata topica: quo magis dolor diffunditur et venter inflatur, quo profusiores et foetidiores alvi excretiones intrant, eo majus periculum imminet; de aegrotarum salute desperandum est, si miliaria alba emergunt statusque comatosus accedit.

Helm haecce placita prognostica apponit: febris ingens cum largo exsudato fere semper, febris puerperalis cum septicis phaenomenis semper malum sortitur exitum. Dolor sine febri multo melioris ominis est, quam febris sine dolore. Salivatio mercurii usum secuta, nec non metastases externae faustum, metastases internae infaustum pollicentur eventum. Pulsus,

qui retardatur, periculum diminui, febris autem continua illud adaugeri testatur; exsudatum circumscriptum prognosin dubiam quidem, minime absolute malam exhibet; ceterum ejus copia et indoles discrimen sistunt. Vultus callapsus et deturpatus (physiognomia puerperalis), artus frigidi, vomitus aeruginosus, imo stercoreus plerumque restituendae valetudinis spem auferunt. Contra autem salutis spes accrescit, si urina multa hypostatica secedit simulque febris mediocrem exhibet intensitatem.

MEDENDI RATIO.

§. 12. Quum febris puerperalis tam deleteria sit, ut aegrotantes nunquam non vitae discrimen subeant, summi est momenti, introitum ejus arcere, i. e. omnia diligenter prohibere, quae causam occasionalem suppeditare possint. Quibus in casibus morbus citra infectionem ortus est, indicatio causalis prophylactica tantum esse potest, quam ita exsequi studemus, ut secretiones jam inter graviditatem debito modo sustineantur et post partum suppressio earum caveatur. Dispiciendum tamen est, ne hisce in rebus modum excedamus et secretiones, quae normae respondere debent, justo profusiores reddamus. Morbus autem si exortus est, impediri oportét, quominus contagium evolvatur, quod si efformatum est, deleri et ab aliis aegrotantibus procul arceri debet. Proinde perpurganda est atmosphaera, quae puerperas ambit, ita ut chlorum calcariae in latrinas immittatur, solutiones chlori

calcariae in conclavibus collocentur, imprimis vero sanae ab aegrotantibus segregentur. Ubi contagium jam totam domum obstetriciam impraegnavit, omnes puerperae aliorsum deferendae, supellex autem relinquenda est. Praeterea domus cingatur custodia omniaque ejus tabulata renoventur, quoniam lignum conductor contagii egregius esse videtur; parietes conclavium deradantur, solutione calcariae abluantur et repetitis vicibus nova calce illinantur; quaecunque in usum puerperarum adhibebantur, ut lectuli, sedilia, stragula, comburantur et pulvinaria, si flammis non traduntur, exactissime purgentur. Contagium aegrotis illatum deletu difficillimum est; sicut enim aliis in morbis contagiosis, ita etiam in hoc prima infectionis phaenomena cum systematis nervosi affectione consociata apparent: aegrotae cephalalgia, languore, sapore amaro, lingua obtecta, catarrhali bronchiorum irritatione corripiuntur. Medicus intra primas viginti quattuor horas post infectionem arcessitus, ubi symptomata, quae modo dixi, observantur, contagium destruere studeat eumque in finem doses mediocres radicis Ipecacuanhae cum pauxillo Tartari stibiati praebeat, ut nausea vomitum antecedat. Sin aegrotae diutius jam laborant, de contagio destruendo non amplius cogitandum est.

§. 13. Indicatio morbi nondum ab omni parte definita est, nam auctorum sententiae ea de re non minus, quam de febris puerperalis forma inter se dis-

crepant: alii enim apparatum antiphlogisticum totum per ambitum, venaesectiones nimirum et Calomelas, alii, hanc medendi methodum letiferam existimantes, remedia excitantia, ut Terebinthinam, in usum vocari jubent. Haud dubie istae controversiae eo ex fonte profluxerunt, quod alii aliam morbi indolem defendebant. Facile autem est intellectu, medendi rationem tum variae febris puerperalis formae, tum characteri ejus epidemico aut endemico consentaneam esse debere. Proinde, quaenam curatio quattuor formis quas supra proposui respondeat, explanare conabor.

Forma peritonitidis puerperalis erethica eam medelam exigit, quae imprimis topicae affectionis et magnae ad exsudationem propensitatis rationem habet. Venaesectionibus ergo tantummodo opus est, si aegrotae plethora magnoque corporis robore et vigore excellunt; altera parte antiphlogosis localis absolute necessaria est. Hirudines igitur ad ventrem applicentur, ad eum praecipue locum, quo dolor exordia cepit; praeterea fomenta calida et unguenti Hydrargyri cinerei infrictiones administrentur. Summi est momenti, ut debitae secretiones sustineantur, quem in finem non modo balnea tepida adhibeantur, sed interna quoque remedia cutis renumque secretionem adjuvantia praebeantur, ut liquor Ammonii acetici, qui aliis salubribus, ut infuso herbae Digitalis, adjungi potest. Alvum quoque respicere oportet, quippe quam dosibus aliquot Calomelanos, vel olei Ricini leviter purgare li-

ceat. Cavendum autem est, ne aegrotae perfrigerio submittantur, quam ob rem latrinae in cubiculo collocandae sunt. Ad promovendam lactis secretionem in mammis, mulieres ipsae infantibus ubera praebeant, vel, si qua res hoc impedit, lac aut per alios infantes aut per antliam lacteam exsugatur. Ubi galactopoësis debito parcior est, sinapismi aut cucurbitulae siccae mammis admoveantur. Quodsi lochiorum profluvium haesitare minatur, fomenta calida, insessus calidi, injectiones humorum tepidorum, imo adeo, si plane subsistat, injectiones substantiarum acrium, ut infusi Capsici annui vel decocti corticis Mezerei, cum liquore Ammonii caustici opem ferunt. Antiphlogisticae curationi victus strenuus addendus est; nutrimenta tenuia sint, aquosa aut mucilaginosa, potus tepidi, quo melius secretiones sustineantur.

Forma synochica methodum antiphlogisticam per totum ambitum expostulat. Instituendae igitur sunt venaesectiones largae eaeque repetitae, donec omnis pulsuum tensio atque durities evanuerint. Quidnam de applicatione frigoris ad ventrem judicandum sit, nondum inter omnes constat; praecipue van Swieten, Sarcone, Hufeland, Helm hoc remedium commendant, quo etiam Joerg hocce tempore multo cum successu utitur. Helm haec de frigore apponit: nihil tanta celeritate dolores febremque demulcere valet, quam glacies abdomini imposita; necesse autem est, haec epithemata crebrius renoventur et per bi-

duum vel triduum continuo adhibeantur; ceterum neque metastasin inflammationis neque lochiorum suppressionem timeas. Negligenda non sunt alia topica antiphlogistica, ut hirudinum applicatio, infrictiones unguenti mercurialis et, si frigoris externum usum perhorrescimus, fomenta ventris calida. Quemadmodum in specie erethica, ita etiam in hac meditandae sunt secretiones et excretiones, nominatim alvus largioribus Calomelanos dosibus solvenda et haec omnia eo usque continuanda, donec peritonitis puerperalis ad erethicum characterem redierit.

Si species gastrico-biliosa exstat, medicum eo eniti oportet, ut alia indoles, nimirum erethica, ei impertiatur. Plerisque in casibus idoneum erit, emeticum praebere, praecipue si gastricae saburrae manifeste sursum turgescunt, si nausea aut vomituritiones locum habent. Emetico tamen venaesectio praemittenda est, si inflammatoria symptomata aliquantum praevalent; Canstatt raris in casibus magnaque cum providentia emeticis utendum esse censet. Quodsi sordes magis deorsum quam sursum turgent, ad laxantia mitiora transeundum est, quibus decoctum Tamarindorum aut solutio Mannae cum Tartaro natronato aut Magnesia sulphurica, adnumeranda sunt; ipsa vero laxantia, ut Canstatt recte adnotat, propter tunicae intestinorum mucosae irritationem circumspecte exhibeantur oportet.

In specie denique typhosa interest, utrum morbus primitivus sit, cui irritationis stadium antecesserit,

an consecutivus, i. e. ex alia specie evolutus, quo in casu tantummodo stadium nervosum curandum venit. Quamdiu peritonaei irritatio superest, a remediis excitantibus abstinendum est, quippe quae morbi decursum et exitum accelerent; indicantur potius temperantia et demulcentia, et neque pulsus parvus et debilis neque debilitas universa impediunt, quo minus hirudines ventri admoveantur, fomenta calida imponantur et infrictiones mercuriales administrentur. Alvi obstipatio hocce in casu aperientia quidem remedia expostulat, minime autem Calomelas, sed Mannam aut decoctum Tamarindorum, ita ut modo aliquot sedes liquidae evocentur; quibusdam in casibus clysmata aperientia purgantibus internis praeferenda sunt. Ubi cutis arida ne minimam quidem transpirandi opportunitatem ostendit, tepidis balneis et affusionibus opus est, sin vero sudores profusi, glutinosi, foetentes, formicatio extremitatum animadvertuntur, dubitandum non est, quin secundo in stadio miliaria alba eruptura sint, quam ob rem crises cutaneae remediis purgantibus, acidis mineralibus, Digitali et Scilla restringi debent. Stadii secundi curatio plerumque admodum complicata est: partim enim colliquativae excretiones inhibendae sunt, partim, si inhibentur, exsudatum oriri solet. Unica via, quam medici nonnulli in hoc dilemmate cum successu ingressi sunt, ea est, ut nova secretio excitetur eoque modo non solum colliquativae secretiones coërceantur, sed etiam exsudato imminenti occurratur. Remedia

hunc in finem proposita varia sunt; Angli magnas olei Terebinthinae doses commendant, quibus renum et partium sexualium secretio sustentetur; neque minus fomenta ex eodem parata abdomini imponuntur. Facile autem est intellectu, non eadem remedia omnibus casibus respondere, sed cautelas quasdam semper esse servandas. Generatim adnotari oportet, remedium quoddam esse omittendum, si organon, cujus secretio incitatur illo remedio, jam profusa secretione laborat. Calomelas igitur, si diarrhoea exstat, oleum Terebinthinae, si diuresis uberrima est, debet vitari. Quodsi cutis sudore diffluit, si miliaria alba emergunt, alvus autem obstipata est, purgantia mitiora cum antidiaphoreticis in usum vocanda, praeterea corpus leviter tegendum, lotiones e solutione kalina instituendae, linimentum volatile abdomini inungendum est. Oleum Terebinthinae optimum pollicetur effectum, si neque lochia fluunt, neque lac in mammis secernitur; melius autem est, doses singulas guttarum viginti aut triginta, quam ingentes portiones exhibere, quibus Angli utuntur. Affusiones frigidae tantummodo salutares sunt, si cutis ardens, turgoris expers, nihil omnino secernit, si exanthema petechiale erumpit, vel haemorrhagiae exoriuntur. His in casibus ad usum internum acida mineralia accommodata sunt. Ubi status comatosus accessit, nervina excitantia, imprimis Moschus, porrigenda sunt; crises intrantes suis remediis adjuventur. Nutrimenta saluberrima sunt jusculum carnis, vini por-

tiones modicae, modo rubri modo albi, imprimis aciduli. Abscessus in partibus exterioribus apparentes maturandi sunt, primum quidem applicatione hirudinum, deinde cataplasmatum emollientium, quibus, si dolores vehementes urgent, narcotica adjicere licet; quamprimum fluctuatio animadvertitur, abscessus aperiantur, quo facto si febris hectica supervenit, China praescribenda et victus nutriens imperandus est. Si pulmonum suppuratio secuta est, de aegrotante nondum desperare oportet, abscessus enim pulmonum non raro sanantur, si decoctum chinae exhibetur et diaeta consentanea strenue administratur. Interdum diarrhoea habitualis febrem puerperalem excipit multisque remediis, imo Opio resistit, quam auctore Helm Ratanhia et Alumen optime comprimunt:

Rec. Aq. cinnamom.
Aq. commun. aa ℥ij
Alumen. crud.
Extract. Ratanh. aa ʒj
Syrup. menthae ℥iij
S. singulis horis duo cochlearia majora sumantur.

VITA.

Ego Fridericus Guilelmus Oscarus Seidler, Saxo-Borussus, die XXI mens. Aug. a. MDCCCXXI Leucopetrae natus, patre Friderico, matre Guilelma e gente Henning, quos deus optimus maximus ut vivos mihi salvosque perdiu conservet nullo non die rogo atque oro. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis a viro maxime Venerando, humanissimo Rectore Eidam imbutus Gymnasium Numburgense Directore Clar. Foertsch per septem annos frequentavi, Testimonio maturitatis instructus mense Aprili anni MDCCCXLIII almam universitatem Lipsiensem petii, ubi ab Ill. Schilling, t. t. Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus, a beat. Heinroth, t. t. Decano facultatis medicae, in album medicorum inscriptus sum. Ibidem hasce adii Illustrissimorum et Celeberrimorum virorum scholas:

Ill. Schwaegrichen de historia naturalis encyclopaedia, de zoologia et de plantis officinalibus, quem etiam in excursionibus botanicis secutus sum;

Ill. Kunze de botanica encyclopaedia plantarumque cryptogamarum morphologia et physiologia;

Ill. Poeppig de zoologia; ejusdem demonstrationibus in museo zoologico interfui;

Ill. Drobisch de logice;

Ill. Hartenstein de psychologia;

Ill. W. Weber de physice et theoretica et experimentali;

Ill. Naumann de mineralogia et geognosia;

Ill. Erdmann de chemia et theoretica et experimentali, de chemia pharmaceutica;

Ill. Lehmann de chemia physiologica atque pathologica;

Ill. Moebius de astronomia;

Ill. H. Weber de anatomia totius corporis humani; idem in arte cadavera rite secandi dux mihi fuit, nec non physiologiam et theoreticam et experimentalem me docuit;

Ill. Assmann de anatomia comparata;

Ill. Bock de anatomia systematica, topographica, pathologica; de arte medica dignoscendi, de auscultatione atque percussione;

Ill. Guenther de anatomia chirurgica, de chirurgia et generali et speciali, de akiurgia;

Ill. Neubert de pathologia et therapia generali;

Ill. Cerutti de pathologia et therapia speciali;

Ill. Braune de materia medica;

Ill. Kneschke de pharmacologia et de methoho formulas conscribendi medicas;

Ill. Sonnenkalb de pathologia et therapia morborum cordis pulmonumque, de morbis contagiosis;

Ill. Walther de morborum syphiliticorum pathologia et therapia;

Ill. Radius de arte sanitatem psychicam conservandi;

Ill. Joerg de arte obstetricia;

Ill. Merkel de medicinae historia;

Ill. Wendler de medicina forensi.

In clinicis chirurgicis, ophthalmiatricis, medicis, duces mihi fuerunt: Ill. Guenther, Clarus, Winter.

Quum per septem semestria Lipsiae moratus essem, mense Octobri anni MDCCCXLVI hanc universitatem Fridericam Guilelmam petii atque a Rectore Magnifico Ill. Boeckh civibus academicis assignatus apud Ill. Mueller, gratiosi medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem, nomen professus ibidem exercitationibus clinicis medicis, gynaecologicis virorum Cel. Wolff et Schmidt interfui.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso coram gratioso Medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Sexum muliebrem pluribus ac gravioribus morbis quam virilem affici contendo.
2. Partus praematurus artificialis et perforatio sectioni caesareae plerumque postponenda sunt.
3. Aether sulphuricus arti obstetriciae nullum suppeditat usum.
4. Nullum signum virginitatis certum.
5. Non sunt remedia specifica.
6. Homoeopathia nihil praestat nisi per diaetam.
7. Puerorum atque adolescentium educatio non solum philologis, sed etiam medicis lege est committenda.
8. Ut quodque secetur cadaver lege constituendum esse censeo.